



BOLETÍN DEL CLERO

DEL

OBISPADO DE LEON

EPISTOLA ENCYCLICA DE UNITATE ECCLESIAE ⁽¹⁾

Certe infinita Dei potentia nulli est vineta vel adstricta rei, omniaque sibi habet obnoxie, velut instrumenta, parentia. De isto igitur principio externo, dispiciendum, quodnam ex omnibus, quae essent in potestate sua, Christus optarit. Quam ob rem oportet christiani nominis revocare cogitatione primordia:

Divinis testata litteris, eademque vulgo cognita commemoramus. Jesus Christus divinitatem divinamque legationem suam miraculorum virtute comprobat: erudire verbo multitudinem ad caelestia insistit, omninoque jubet ut sibi fides docenti adjungatur, hinc praemiis illinc poenis propositis sempiternis: *Si non facio opera Patris mei, nolite, credere mihi* (2). *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius facit peccatum non haberent* (3). *Si autem facio (opera), et si mihi non vultis credere, operibus credite* (4). Quaecumque praecipit, eadem omnia auctoritate praecipit: in exigendo mentis assensu nihil excipit, nihil secernit. Eorum igitur qui Jesum audissent, si adipisci salutem vel-

(1) Véase la pág. 346.

(2) Joan., x, 37.

(3) Ib., xv, 24.

(4) Ib., x, 38.

lent, officium fuit non modo doctrinam ejus accipere universe, sed tota mente assentiri singulis rebus, quas ipse tradidisset: illud enim repugnat, fidem vel una in re non adhiberi Deo.

Maturo in caelum reditu, qua ipse potestate missus a Patre fuerat, eadem mittit Apostolos, quos spargere ac disseminare jubet doctrinam suam: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (1). Salvos fore, qui Apostolis paruisent, qui non paruisent, interituros: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* (2). Cumque illud sit providentiae Dei maxime congruens, ut muneri praesertim magno atque excellenti praeficiat neminem, quin pariter suppeditet unde liceat rite defungi, idcirco Jesus Christus missurum se ad discipulos suos Spiritum veritatis pollicitus est. eumque in ipsis perpetuo mansurum: *Si autem abiero, mittam eum (Paracitum) ad vos... Cum autem venerit illi Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (3). *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis...* (4). *Ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis* (5). Hinc doctrinam Apostolorum religiose accipi sancteque servari perinde imperat ac suam: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit* (6). Quamobrem legati Apostoli a Jesu Christo sunt non secus ac ipse legatus a Patre: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (7): propterea quemadmodum dicto audientes Christo esse Apostolos ac discipulos oportuit, ita pariter fitem adhibere Apostolis debuerant, quoscumque ipsi ex mandato divino docuissent. Ergo Apostolorum vel unum repudiare doctrinae praeceptum plane non plus licuit, quam de ipsius Christi doctrina rejecisse quidquam.—Sane Apostolorum vox, illapso in eos Spiritu sancto, quam latissime

(1) Matt., xxviii, 18—19—20.

(2) Marc., xvi, 16.

(3) Joan., xvi, 7—13.

(4) Ib., xvi, 16—17.

(5) Ib., xv, 26—27.

(6) Luc., x, 16.

(7) Joan., xx, 21.

insonuit. Quacumque vestigium posuissent, perhibent se ab ipso Jesu legatos. *Per quem (Jesum Christum) accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus* (1): diviranque eorum legationem passim Deus per prodigia in aperto ponit: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* (2). Quem vero sermonem? eum utique, qui id omne comprehenderet, quod ipsi ex magistro didicissent: palam enim aperteque testantur, nihil se eorum posse, quae viderant quaeque audierant, non loqui.

Sed, quod alio loco diximus, non erat ejusmodi munus apostolicum, ut aut cum personis Apostolorum interire posset, aut, cum tempore labi, quippe quod et publicum esset et saluti generis humani institutum. Apostolis enim mandavit Jesus Christus ut prae licarent *evangelium omni creaturae, et portarent nomen ipsius coram gentibus et regibus, et ut sibi testes essent usque ad ultimum terrae.* Atque in tanti perfunctione muneris adfore se pollicitus eis est, idque non ad aliquot vel annos vel aetates, sed in omne tempus, *usque ad consummationem saeculi.* Quam ad rem Hieronymus: *Qui usque ad consummationem saeculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros et se nunquam a credentibus recessurum* (3). Quae quidem omnia in solis Apostolis, supremae necessitati ex humana conditione obnoxiiis, qui vera esse potuissent? Erat igitur provisum divinitus ut magisterium a Jesu Christo institutum non iisdem finibus, quibus vita Apostolorum, terminaretur, sed esset perpetuo mansurum. Propagatum revera ac velut in manus de manu traditum videmus. Nam consecravere episcopos Apostoli, quique sibi proxime succederent in *ministerio verbi*, singillatim designavere.— Neque hoc tantum: illud quoque sanxere in successoribus suis, ut et ipsi viros idoneos adlegerent, quos, eadem auctoritate auctos, eidem praeficerent docendi officio et muneri: *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu: et quae audisti a me*

(1) Rom., i, 5.

(2) Marc., xvi, 20.

(3) *In Matth.*, lib. iv, cap. xxviii. v. 20.

per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere (1). Qua de causa sicut Christus a Deo, et Apostoli a Christo, sic episcopi et quotquot Apostolis successere, missi ab Apostolis sunt: *Apostoli nobis Evangelii praedicatores facti sunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo, et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei...* Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant. . Constituerunt praedictos, et deinceps ordinationem dederunt, ut quum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent (2). Permanere igitur necesse est ex una parte constans atque immutabile munus docendi omnia, quae Christus docuerat: ex altera constans atque immutabile officium accipiendi profitendique omnem illorum doctrinam. Quod praeclare Cyprianus iis verbis illustrat: *Neque enim Dominus noster Jesus Christus, cum in Evangelio suo testaretur inimicos suos esse eos, qui secum non essent, aliquam speciem haereseos designavit: sed omnes omnino qui secum non essent et secum non colligentes, gregem suum spargerent, adversarios esse ostendit, dicens: Qui non est mecum, adversus me est; et qui non mecum colligit, spargit* (3).

His Ecclesia praeceptis instituta, sui memor officii, nihil egit studio et contentione majore, quam ut integritatem fidei omni ex parte tueretur. Hinc perduellium habere loco et procul amandare a se, qui de quolibet doctrinae suae capite non secum una sentirent. Ariani, Montanistae, Novatiani, Quartadecumani, Eutychiani certe doctrinam catholicam non penitus omnem, sed partem aliquam deseruerant: haereticos tamen declaratos, ejectosque ex Ecclesiae sinu quis ignorat fuisse? Similique iudicio damnati, quotquot pravorum dogmatum auctores variis temporibus postea consecuti sunt. *Nihil periculosius his haereticis esse potest, qui cum integre per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem*

(1) II. Tim., II, 1—2.

(2) S. Clemens Rom., Epist. I, ad Corinth., capp. XLII—XLIV.

(3) Epist. LXIX ad Magnum, n. 1.

*Dominicae et exinde apostolicae traditionis inficiunt (1). Idem semper Ecclesiae mos, idque sanctorum Patrum consentiente iudicio: qui scilicet communionis catholicae expertem et ab Ecclesia extorrem habere consueverunt, quicumque a doctrina, authentico magisterio proposita, vel minimum discessisset. Epiphanius, Augustinus, Theodoretus haereseon sui quisque temporis magnum recensuere numerum. Alia Augustinus animadvertit posse genera invalescere, quorum vel uni si quis assentiatur, hoc ipso ab unitate catholica sejungitur: *Non omnis, qui ista (numeralas videlicet haereses) non credit. consequenter debet se christianum catholicum jam putare vel dicere. Possunt enim et haereses aliae, quae in hoc opere nostro commemoratae non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quis quis tenuerit, christianus catholicus non erit.* (2)..*

COLLATIONES MORALES PRO MENSE SEPTEMBRIS.

1.^a

Quid indulgentia et quotuplex.—An sit in Ecclesia potestas indulgentias concedendi; illarumque usus sit christianis valde salutaris.—Quinam possunt eas concedere.—An aliqua causa requiratur ut valide indulgentiae conferantur.—Quid in subjecto requiritur ad lucrandas indulgentias.—An indulgentiae defunctis prodesse possint.—Quid significat illud «*per modum suffragii*»?

Casus.

Lucila nobilis femina, poenitentias in fore sacramentali impositas frequenter omisit malens ex Ecclesiae thesauro quam ex propriis operibus satisfacere; quapropter confugit ad quendam pium libellum, cujus singula capita si legat, 12.000 indulgentiarum dierum a diversis Praelatis concessa lucrare poterat. Nonnulla praedicti libelli capita legit; sed dubitat an indulgentias lucraverit, quia in peccato veniali lectionem peregit: dubitat an semel legendo, omnes indulgentias consequatur, vel

(1) *De Haeresibus*, n. 88.

(2) Auctor *Tractatus de Fide Orthodoxa contra Arianos*.

toties legere debeat, quod sunt Praelati qui indulgentias erogaverunt: dubitat an omnes indulgentiae aequare possint poenitentias sibi impositas et á se omissas: denique dubitat an omnes indulgentiae subsistant quia jam aliqui Praelati e vita decesserunt
¿Quid Lucilae respondendum?

Quaestio liturgica

¿Deficiente *tumulo* vel absente corpore, fieri potest Absolutio defunctorum?

2.^a

Quid sit jubilaeum et quotuplex.—An et quomodo ab indulgentia plenaria differat.—Qui sit jubilaeum *anni sancti* dictum.—Quaenam gratiae in jubilaeo generatim concedantur.—Quaenam opera ad gratias obtinendas praestanda sint. An indulgentiae, praesertim plenariae, defunctis applicatae infalibilem sortiantur effectum. ¿Quid de voto, quod heroicum vocant, in animarum Purgatorii favorem?

Casus.

Sabina Matritensis Dioecesis mulier, in Legionensi Dioecesi, jubilaei *anni sancti* tempore commorans, ad Confessarium accedit absolutionem a reservatis et utriusque voti commutationem postulans; scilicet votum pro animabus Purgatorii et votum castitatis. Confessarius a reservatis eam absolvit; sed circa votorum commutationem ait; primum nec per me, nec per alium commutari potest, quia in dandum tertii celeret commutatio: secundum certe occasione jubilaei posset per me commutari; sed ut licite agam, adesse debet aliqua rationabilis causa et cum nullam habeas non possum commutationem facere, imo cum in aliena dioecesi jubilaeum non possis lucrare et ejusmodi facultates ad effectum jubilaei obtinendum tantum conferantur, dubito an valide a reservatis absoluta fueris: quapropter post reditum in propriam dioecesim, jubilaei anno perdurante, melius saluti tuae providere debes. ¿Quid de hujus confessarii agendi ratione?

Quaestio liturgica.

¿Quando duplicari debent antiphonae in officio defunctorum?

Quisnam poenitentiae minister sit.—An praeter potestatem ordinis, ad valide absolvendum habere debeat etiam potestatem jurisdictionis.—An et quomodo approbatio et jurisdictionis differant.—Quinam ad confessiones audiendas approbare valeant.—Quotuplex sit jurisdictionis et quibus modis acquiri possit.—Quibus de causis jurisdictionis delegata expiret.

Casus.

Berengaria virili veste induta accedit ad Cyprianum neo-Sacerdotem sedentem in loco ad hominum tantum confessiones audiendas parato: facta confessione, absolutionem accepit quin a Cypriano agnosceretur et quin sciret quod Cyprianus approbatus tantum erat ad virorum confessiones exaudiendas: id postea sciens dubitat de valore absolutionis a Cypriano impertitae et cujusdam Doctoris consilium exquirens audit: «ex parte jurisdictionis in Confessario nihil est pertimescendum quia ejusmodi res ex communi hominum estimatione judicari debent, et tu in communi hominum judicio homo eras; alioquin Cyprianus omnes interrogare deberet an essent virilis sexus; potius est timendum ex parte integritatis confessionis», nequaquam reponit illa: «nam integre confessa sum siquidem dixi adulterium patravi, abortum semel procuravi et idem est adulterium in homine ac in muliere; idem est abortum in se quam in alia procurare». Valide Cyprianus absolvit? Peccavit mulier mutando vestem? Integra fuit ejus confessio? Quid de Doctoris judicio?

Questio liturgica.

Defunctorum anniversaria adimpleri possunt infraoctavas privilegiatas?

An jurisdictionis delegata subdelegari possit.—An Ecclesia suppleat jurisdictionem quando poenitentes ipsius defectum invincibili ter ignorant.—An liceat absolvere cum jurisdictione praesumpta, dubia vel probabili.—An Sacerdos approbatus ab Episcopo, possit audire confessiones fidelium sine venia Parochi.—An simplex Sacerdos possit absolvere navigantes in Oceano, vel a quo obtinenda sit approbatio. An haeretici et schismatici valide absolvere possint.

Sylvester Sacerdos pro tota Dioecesi ab Episcopo ad confessiones audiendas approbatus, dum aestivo tempore in natali oppido vitam ducit, sine parochi venia imo contradicente parochi fidelium confessiones suscipit: dum vero extra propriam dioecesim cum pueris qui in Collegio in quo ille moderatoris munus exercebat, erudiebantur recreationis causa iter ageret ac quoddam Sanctuarium Dominica die visitassent ibi pueros sibi subditos absolvit et sacra communione donavit, obtenta prius parochi illius loci venia. Valide et licite in utroque casu absolvit Sylvester? Et si invalide quomodo errorem corrigere debet?

Quæstio liturgica.

¿In depositione defunctorum possunt in oratione *Non intres etc.* mutare illa verba *servo tuo* in *serva tua* aut *servis tuis*, quando est mulier aut plures sunt defuncti?

A N U N C I O

Cabildo de la Santa Iglesia catedral de León

Debiendo proveerse por los Excelentísimos señores Obispo, Dean y Cabildo de esta Santa Iglesia Catedral una plaza de segundo Sacristán de la misma con la asignación de *dos* pesetas diarias, se invita á todos los Sres. Sacerdotes que deseen optar á dicha plaza, presenten las solicitudes en la Secretaría del Excelentísimo Cabildo Catedral en el término de *quince* dias desde la fecha del presente, debiendo acompañar á la solicitud, el correspondiente testimonio ó documento que justifique estar en el uso de sus licencias Sacerdotales. Los extradiocesanos presentarán testimoniales y licencia de su Prelado.

El que obtenga la referida plaza deberá subscribir y cumplir fielmente las obligaciones que le serán puestas de manifiesto al hacerse cargo de la misma.

León 19 de Agosto de 1896.—El Secretario Capitular.